

**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Peccata venialia fugienda esse propter bona quæ impediunt. Cap. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

Bern. in  
morte Hū  
berti.  
Aug. lib.  
so. hom.  
16.

Caspar. hō.  
8.  
Ansel. I.  
Cor. 3.  
Ang. de  
cura pro  
mortuis  
c. 8.

LUC 16.  
10.

Prouent.  
16. 18.

Et sanè Bernardus ait, in purgabilibus locis centupliciter quæ fuerint hic neglecta, redduntur usque ad nouissimum quadrantem. Et Augustinus: Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertransiendi morta. Quantum exegerit culpa, tantum sibi ex hominie vendicabit quedam flammæ rationabilis disciplina. Hæc etiam pœnam istam non celerem habere durationem aperiunt. Quod vero ad pœnæ acerbitudinem spectat, certum est, animas in purgatorio dirissimis pœnis cruciari. Quippe quæ pœna damni, scilicet diuinæ visionis carentia multantur; eximia tristitia ob suum exilium à patria, castigantur, acerbissimo igne torquentur, qui, ut instrumentum Dei ad spiritus suam operationem extendit. Denique tam dura est hæc pœna, & tam acerba, ut in immensum omnes huius vita pœnas, & tristias excedat. Ad quod confirmandum ait Cæsarius Arelatenus: Ille ipse purgatoriis ignis durior erit, quam quod possit pœnarum in hoc seculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari. Et Anselmus: Scendum est, quod grauitor est ille ignis, quamquid homo pati potest in hac vita. Et Augustinus: Et si æternus non sit, scilicet ille ignis, miro tamen modo gravis est, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est. Ita, & multa alia (qua sciens prætereo) Patres de acerbitate pœnarum purgatorijs proferunt; & quidem eò adducta sunt, ut pateat quantum sit damnum ob levia peccata ab ingressu in patriam impediti, & tam horribili loco, ac tam leuera & diuturna pœna castigari.

Poltremum damnum à Laurentio Iustiniiano recentitum, est, quod peccatum leue, sepe est peccatum occasio. Non solum propter conscientiam erroneam, ut ipse ait, qua quis putat se grauiter in Deum peccare (iste enim iam non leuiter deliquerit, sed grauiter) nec solum quia levia peccata (vt iam diximus) ad grauia disponunt, verumetiam quoniam qui inuercendus est in huiusmodi peccatis admittendis, meretur à Deo derelinqui, & in maiora probabi; in quo sensu nos illud accipimus: Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. ] Sicut enim minores aulicorum incuria (si ex paruo amore, & irreuerentia procedant) solent ita regis animam prouocare, ut à negligenteribus signa benevolentiae auferat, & perseuerantes à suo obsequio repellat: ita hæc leuiora peccata, cum non ab infirmitate, sed à procacitate, aut ab insigni oscitantia procedunt, solent Domini indignationem excitare, ut repidos, & sue perfectionis incuriosos, & sola grana peccata timentes, in ea, quæ timent, iusto suo iudicio ruere, & illis fœdati permittat. Timeamus ergo hos modicos sumptus, quibus paulatim substantiam nostram, id est, feruorem charitatis minimus, nam licet modici sunt, possunt sensim ita feruorem minuere, ut caritas fere omnino tepefacta, data occasione, deficiat, non habens vires ob culpam nostram, quibus valeat tentationi repugnare. Partia scintilla magna nonnunquam ignem accendit, quia cadens in materiam dispositam, principium est vehementioris flammæ: & modica eriam negligentia ad maiorem aditum parat, dum in corde tepido, & imperfeto sedem figit, & in confuetudinem venit. Gutta sepe cadens excavat lapidem, & si id oculis vides quomodo fiat, nequam inquiras; & consuetudo leuiter delinquendi, sine villo timore in hospitium cordis admissa, murum prouide circumspectionis sufficit, & foramen hosti ingredi volenti recludit. Ac demum, ut aliquando veriōne septuaginta virorum sanè venerandam adducamus: Ante coniunctionem præcedit ruina, & ante

A ruinam mala cogitatio.] Hæc namque insipientium oculis parua, non paruum ruinam & casum solet inducere. Vel si mauis: Coniunctionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus. ] Genus enim quoddam superbia & elationis est, non timore minor, quasi parum referat, Domino in minutis displicere: quam elationem aliquando magna deiectione mentis est subsecuta, ut necesse sit ad eam instaurandam non modice ftere, nec modicis laboribus insudare.

### Peccata venialia fugienda esse propter bona, quæ impedunt.

B

### CAP V T XII.



VINQVE damna, quæ adiuncta sunt peccata venialia, in medium protulimus, nunc quinque bona quæ impedunt, breuiter proferamus. Ea autem sunt, quod tollunt animæ quietem, minuant verum honorem, insuffici opera, impedita dona, & ab itinere perfectionis auocant. Qui internam tranquillitatem, & apud Deum honorem amat; qui suorum operum pulchritudinem, & cœlestium donorum possessionem diligit, qui ad obtinendam perfectionem anhelat, ista peccata pro sua possibilitate fugiat, ita saltet, ut nunquam sciens, ac volens, & ex meta oscitantia similes defectus ac lapsus admittat.

C Impedunt quidem peccata levia quietem animæ, ac mentis tranquillitatem, quæ in mundicia ac puritate consistit. Nam si beatitudine nostra in hac vita, & in futura tranquillitas nostra est, quoniam in hac vita, vt cuncte, & pro ut fieri potest, & in alia perfectè nos satiat, quis non ex sacris Scripturis intelligat, hanc duplē beatitudinem viæ ac patriæ à mentis puritate minime separari? Quare si hæc puritas sequitur, aut comitatur beatitudinem, etiam sequitur tranquillitatem, arque adeo peccata levia beatitudini aduersa, etiam quietem mentis impedit, & eam velut spinæ pungentes tranquillam esse non sient. At beatitudinem huius vita (de hac enim nunc loqui volumus, non de perfecta patriæ, quæ nec minimum natus admittit) leuibus peccatis aliquo modo impediti, ex dictis in superiori volumine fatis notum est. Diximus enim, beatitudinem huius vita perfectionem ac sanctitatem esse, hanc autem grauia peccata destruunt, sed levia fuscant, & à sua pulchritudine detrahunt. Si ergo hæc peccata perfectionem insufficiunt, etiam tranquillitatem turbent necesse est, quæ conscientia levia hæc reprehendit in crepatione confundit. Attende quem Ecclesiasticus beatum ac felicem protestetur: Beatus diues, ait, qui inuentus est fine macula. ] Quis nam est iste diues? An qui aurum & argentum possideret, & qui recondit numismatum plena marsupia? Hunc mundus diuitem vocet, sed tu, ô iuste vit, qui terrena despicias, huiusmodi hominem terrena possidentem nequamdiuitem reputabis. Quis igitur erit iste diues? Ille sanè, qui, ut Ambrofius ait, diues est Deo, qui virtutem & sanctitatem colit, qui virtutes comparat, opes quidem nunquam perturbas. Hic diues tunc beatus est, cum sine macula est, cum scilicet leues etiam maculas diluit, & quantum potest, declinat. Sed idem est vir beatus atque tranquillus; ergo maculae beatitudinem commouentes etiam tranquillitatem turbabunt. Et quem etiam sanctus David beatum, & consequenter tranquillum appellat? Nonne qui tempe-

Eccles. 31.  
8.

finis

*Psal. 136.*  
9.  
*Aug. lib.*  
*1. Corin.*  
*10. n. 4.*

*Eccles. 45.*  
2.  
*1. Corin.*  
*1.12.*

*Greg. lib.*  
*3. m. 1.*  
*Greg. ad c.*  
6.

*I. Reg. 6.*  
18.

*Psalmus 136.*

*stivè parvulos Babylonæ filios, id est, motus nostræ sensualitatis insurgentes, illidit? Beatus, ait, qui reuebit, & allidet parvulos tuos ad petram.] Qui sunt, inquit Augustinus, parvuli Babylonæ? Nascentes malæ cupiditates. Sunt enim, qui cum veteri cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo, cum parvula est cupiditas, nequaquam præuae consuetudinis robur accipiat: cum parvula est, elide illum. Sed times ne elisa non moriarut; ad petram elide. Petra autem erat Christus.] Quid est imperfectiones parvulas ad petram elidere? Certè non aliud quam Christi imitatione, & auxilio ab eo nobis dato, necare. Si itaque levia ista peccata nostram quietem turbant, profectò diuinam etiam contemplationem impediunt, quia Deus oculis non turbidis, sed purgatis & perspicacibus videri potest. Pugnemus igitur aduersus ea, & si non in totum exterminare, at quantum humana industria auxilio diuinæ gratiæ fulcita potuerit, ea extenuare curemus. Et sicut, qui vas aureum aut argenteum præiis aqua lauit, & linteo detergit, solet singulatim vel minutissimas atomos ex ipso linteo relietas summis digitis eleuare; ita nos, qui animas nostras aqua compunctionis lauimus, & sanctis operibus velut linteis absternimus, leues maculas, vt tempore, irreuentiam, tristitiam, vanitatem, & reliquias huiusmodi ex ipsis meti bonis operibus relietas assida cura & circumspectione dislipemus. Ita fieri ut si non omnino purari ac incoquinari perficerimus, saltem minor & leuius in dies sit nostra fœditas, quæ minus & leuius oculis diuinæ maiestatis displiceat.*

Minunt deinde peccata levia verum nostrum honorem, quem non in alio quam in eo, quod sumus Deo fideles, positum iudicamus. Hæc estenim gloria nostra, inquit Paulus, testimonium conscientiae nostræ, quod in similitudine cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuerterunt sumus in hoc mundo.] Et de Mose scriptum est: Similem illum fecit Deus in gloria sanctorum.] Quam gloriam esse conscientie puritatem, ex Paulo didicimus, cùmque Moses est assequitus, quoniam sanctorum conuersationem & puritatem est imitatus. Hanc gloriam, & hunc honorem verissimum, levia peccata non tollunt, quia mentis integratatem omnino non destruant, at aliquo modo minunt, quoniam non nihil saltem à debita fidelitate deficiunt. Ideoque sancti in hac vita, ut non vñque ad fateriem fideles & puri, se peccatores & debitores quotidie confitentur, & debitum aliquis pœna per solvant. Quod significatum esse in illa redditione tributi pro peccato, quam fecerunt Philistai, Gregorius existimat. Neque enim contenti pro qualibet vrbe murata, & pro qualibet villa absque muro in deletione peccati sui, quod aduersus Dominum arcam admirerant, murem aureum offerre, etiam pro Abele magno, super quem posuerunt arcam Domini, voluerunt tributum exsoluer. Ille namque lapis, ait sanctus hic Pater, iustos & sanctos significat, qui etiam pro culpis (intellige quotidianis, & leuis) Deo satificant, licet non solum à peccatis magnis per Dei gratiam sint eripi, sed & per magna sanctorum virtutum culmina in eius tabernaculum sunt astupiti. Abel magnum se transgressorem agnoscit, quia per nequitiam Philistinorum arcam tergit, & quisque iustus se peccatorem fatetur, quia, aut via aduersiorum impulsus, aut propria imbecillitate prouocatus, saltem leuiter à diuina lege, ac impotitus sibi præceptis, discessit. Profectò magna gloria est sponsa li de minimo sit nœvo tollendo so-

*A* licita, non ut alii hominibus pulchra appareat, sed ut viro suo, quem vincere diligit, in magnis & in minimis placeat. Magna etiam gloria est serui, si minimos defectus in obsequio heri commissos timeat, non ob timorem pœnae alicuius, aut ob mercedis obtentum, sed ob amorem, & fidelitatem erga illum, cuius obsequiis se totum addixit. Ita prorsus verissima gloria, & magnus honor iustorum est, cum minimas quaque maculas vitant, cum minima queque peccata declinant, non quidem ne puniantur; non, ne præmio gloriæ spolientur, sed ne Domino suo, ac dulcissimo Patri displiceant. Si autem id honor sanctorum est, certè illorum erit nonnullum dedecus, cum illos leues defectus non metuant, & multo maius si illos sine timore, & quasi ex industria committunt. Signumque est amoris satis tepidi velle amatum in solis rebus grauibus, & magni momenti non offendere, & in aliis, quæ non tanta severitate præcepit, eius placitum ac voluntatem procaciter violare.

Nec dubium est peccata levia studiosas actiones inficere, vel quia ipsum hominem ea elicentem feedant, vel quia eadem opera afficiunt, & debito splendore ac perfectione præiunt. Cum enim operibus bonis non insident, sed aliunde hominem inquinant, quia ipse, exempli gratia, ineptam cogitationem admisit, aut verbis otiois habens laxavit, ex Aggeo non obscurè colligitur, ea peccata etiam opera virtutis feedare. Interrogat enim iussu Domini sacerdotes: Si terigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid (quod terigerit) contaminabitur?] Illisque respondentibus; quia [contaminabitur:] Inserit Prophetæ: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.] Quid hæc significant, nisi quod pollutus & contaminatus peccatis, in suo gradu bona opera polluit, & licet leuiter delinquit, tamen eius opera tanquam ab eo qui immundus est, egressa, minus grata reputabuntur? Quamvis enim, vt Hieronymus ait, sancta videantur specie sui, que offeruntur à talibus, id est, ab imperfectis, & immundis, tamen, quia tacta sunt ab eo, qui pollutus in anima est, omnia polluentur.] Cibus quidem quamvis de se salubris, ac suauis, duabus de causis minus gratus inuenitur: aut quia ipse insulsus est, & male preparatus, aut quia in vase immundo nobis offertur. Quare igitur non erunt minus gratae Domino, quas offerimus, virtutis actiones, si cor nostrum, in quo, velut in catino, offeruntur, peccatis immundum inuenitur? Vbi organum virtuosum est, inquit Ambrosius, quomodo potest cantus non esse virtuosus? De generis materia decoris partus est.] Homo autem, peccatis licet ministris, immundus, organum virtuosum est, cum diuinæ laudes decantat, & velut mater ignobilis cum partus aliorum operum edit, atque adeo illa à tali organo ac tali principio prodeuntia minus grata esse Deo necesse est. At si peccata levia ipsi actionibus bonis inficent, vt puta, quia tepide oras, distractè psallit, sine debita devotione celebras, non sine tristitia, laboras, nec sine repugnantia, & stridore murmurantis obtemperas; quis non agnoscat huiusmodi opera similibus defectibus vindictaque faciat? O quam vere possumus in clamare frequenter illud Isaie: Et facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus mens tristæ vniuersæ iustitiae nostre;] neque enim nos tantum peccatorum admissione fœdamus, verum & bona opera innumerabilibus negligentiis inficimus; adeo, vt non semel dixerim Domino, meas quotidianas miseras & culpas lugens,

*Aggæi. 2.*  
n. 14.  
*Aggæi. 2.*  
15.

*Hier. lib.*

*Ambr. in  
Psal. 35.  
principio.*

*Isaie. 64.  
6.*

Greg. 21.  
Mor. c. 4.Vide Pie  
rium lib  
13. d  
mure.Cant. 2.  
9.Bern. ser.  
16. in  
Canti.2. Corin.  
5. nu 6.I. I. 19.  
n. 2.

quia satis mihi esset, si quotidiana obsequia pro illis satisaferent, & assiduus religiose disciplinae labor se assiduus negligenter aequaret. Nam si verum est quod dixit Gregorius: Incrementum meritorum quod bona vita studiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur, & bonum, quod animus operando construit, hoc alia perpetrandu peruerit. Quomodo tanta, ac penè infinita negligentiarum multitudine, quam radius diuina lucis interdum ostendit, tepidissimas virtutis actiones non superet, & in dies summam debitorum accumulet?

Et cui alij bono istæ leues maculae obstant? Certe diuinis donis, quorum acceptiōem, ac sponsi desiderati amplectum, impediunt. Dum enim ob quotidianas culpas plectimur, ut ad eas lacrymis, & gemitibus diluendas hortemur, celestium consolatorium priuatione castiganur. Quæ culpæ, cùm nimis crescunt, & sine timore sunt, ac sine compunctione, & pena relinquentur, mirum est quantum erga nos diuinæ largitatis fontem obturent. Videbis aliquem semper in oratione aridum, in diuinis laudibus desolatum, in Eucharistia susceptione durum, & in omni tempore nullo fere gressu celestis consolationis affectum, nulla rerum diuinarum cognitione compunctum, & tantæ paupertatis nullam aliam causam nisi viuendi negligentiam, & incuriam quotidianorum defectuum vitandorum, inuenies. De mure quidem Armenico mundissimo animalculo apud aliquos legitur, quod si oftum cui eius luto illinitur, ita, vt non possit sine sui contaminatione venatores effugere; sinit se potius à venatibus capi, quam suam munditionem luti impunitate fœdere. Quod de egressu istius animalis è sua fouea dicitur, de Saluatoris nostri ingressu in animam enuntiare possemus. Quod scilicet videns animam peccatis & negligentias cinctam, & omnes sensus, ac vires defectibus ac fôrdibus clausas, horret in eam ingredi, & inter tantas fœditates commorari. Idque indicalle videtur sponsa, cùm ait: En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, propiciens per cancellos.] Respicit ille per cancellos, dum intrandi, & nos ditandi occasione inquirit, at pariete culparum impeditur, ut sua iustitia ita exigente, per nouam gratiam & noua dona intrare non possit. Sed & vnicuique nostrum, inquit Bernardus, qui desideramus aduentum ipsius, puto illum nihilominus post parietem stare, dum corpus hoc nostrum, quod certè peccati est, abscondat interim nobis faciem eius, & presentiam inteccludat. Denique quando sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, ] non quia in corpore, sed quia in corpore hoc, quod vtrique de peccato est, & sine peccato non est. Et vt scias quoniam obstant non corpora, sed peccata, audi Scripturam: Peccata nostra separant inter nos, & Deum.] Erytinam virus mihi tantum obster paries corporis, solùmque obicem patiar, id quod est in carne peccatum, & non multa intersint mactæ viciorum. Vereor enim ne etiam præter illud, quod in natura est, quam plurima de propria iniurate adiecerim, quorum à me interieci nimum elongauerim sponsum, ita vt si verum dicere velim, post parietes magis mihi illum stare fatear, non post parietem.] Peccata itaque ista sponsi Christi ingreduntur, quo cum dona celestia nobis venient, vnde ipso foras manente, neque per nouam in nos gratiam intrante, necesse est animam multis diuinis donis carere, & multis illustrationibus, ac consolationibus spoliari.

Postremum bonum, cui peccata levia oblunt, est, quod perfectionis iter ipsa retardant. Nec potest ce-

liter ad arcem ianct tatis ascendero huiusmodi negotiis compeditus, & his debitorum ponderibus oneratus. Immo nunquam erit perfectus, qui modica etiam peccata numero minuerit, & malitia extenuare non curat; quoniam eo ipso quod imperfectiones crescent, perfectio decrescit, in omnium virtutum exercitatione sita, & charitatis ardor intepescit.

Quan obrem Dominus ad Iob Patriarcham locuturus, ait illi: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, responde mihi.] Iuber illi non iam lumbos carnis, id est, peccata grauia, à quibus ipse iam se immunem ostenderat, sed lumbos quoque mentis, praecingere, id est, à modicis defectibus temperare;

qua isti defectus instar nebulae inter mentem nostram, & lucem diuinam interiacent, & quasi importuni clamores vocis diuinæ, que est instar sibili aura tenuis, auditionem impediunt.

Cot namque ad ima depresso nequit in altum oculos mentis attollere, & imperfectiones amans, nequit puritatem perfectè diligere, & manus habens terrenis opibus occupatas, non valer ad celestes thesauros diripiendos effere.

Ad quam rem asserendam optimè Ricardus Victorinus ait: Anima, qua ad sublimiorē gradum vult condescendere, etiam multitudinem venialium, & minoris concupiscentias deber cauere, vt proficer, & ampliore gratia mereatur accipere. Debet enim vitare cogitationes carnales, & vanas, & item cogitationes lupsionis, itæ, & amaritudinis, & huiusmodi.

Consolations etiam terrenas, in cibo videlicet, & potu, in colloquio, in ydendo, in audiendo, in circuositate, in vestibus, in somno, in qualibet libertate;

qua quantum delectationes istas mortificat, & respuit, & carnaliter consolari renuit, tantum spiritualiter merebitur consolari, & in gratia vivificari. Quantum ab istis vacuum cor reperit gratia, tantum repletabit.

Quantum caduca ista aliquis contemnit, & superreditur, tantum ascendit. Quia tantum de infimis ad superna pergit. Post mortificationem itaque maiorum peccatorum, etiam minora mortificare, & calcare oportet, proficiemt animam, & ad spiritualem vitam confondere volentem.] Ita venerabilis Ricardi sententia competitum efficitur, opera pretium esse ei, qui vult ad perfectionem ascendere, non tantum grauia peccata fugere, sed leuia quoque declinare. Quare à Domino obnoxè pertendit est, vt has etiam vulpeculas à vinea nostra animæ ableget, & robur ad eas abigendas, & quotidie exterminandas, ipse concedat. Sancti quoque Patroni nostri interpellandi sunt, vt nos in isto sancto labore adiuvent. Dicendumque illis non sine contritione cordis illud Cantorum: Capite nobis vulpes patuulas, quæ demoluntur vineas, nam vinea nostra floruit.] Vinea inquam nostra, id est anima nostra, & cœlestes, iam semen diuinæ inspirationis exceptit, iam sanctis desideriis floret, iam fructus nonnulli pullulant, & spem vindemiae abundantis ostendunt; iuvate nos, vt vulpeculas istas exterminemus, quæ manifestè vites virtutum corrodunt, & fructus, quos speramus, impediunt. Horum autem adiutorio fulciti, & exemplis animati, has

mitias insequamur, vt ex primo vita spirituali gradu, quo maiora peccata vivimus, hec minora superantes, ad secundum veniamus, vt ex illo felici cursu ad reliquos euolumus.

Eadem

Ricar. in  
Cat. c. 9.Cant. 2.  
nu. 15.